

No. 120. 1240. 11. Apr.

*P. Gregor IX. befiehlt dem Bischof und den Pröbsten des Hochstifts und zu S. Afra, die schmählichen Unbilden und Bedrückungen, welche der Bischof von Preussen von den deutschen Ordensbrüdern erfahren, zu untersuchen.*

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri . . episcopo, et dilectis filiis . . maioris ecclesiae et . . sanctae Affrae praepositis Misnensibus, salutem etc. Venerabili fratre nostro . . episcopo Prusciae accepimus conquerente, quod fratres hospitalis sanctae Mariae Teutonicorum Ierosolimitani in Pruscia morantes, Prutenos cathecuminos, qui ad gratiam baptismi pervenire cupiunt, insigniri christiani caractere nominis non permittunt, illud in suae temeritatis subsidium allegantes, quod fortius quam deo credentium esse possunt domini paganorum. Baptizatos vero neophytos et eidem episcopo iuramento fidelitatis astrictos, qui servare illud cupiunt, nisi eis obediant, diversis cruciatibus affligere non verentur, propter quod quamplures alii horum timore cruciatuum ad infidelitatis errores sunt redire compulsi. Peregrinos, quominus ecclesias construere possint, impediunt et iam constructas per eos occupationi paganorum relinqui temere procurarunt. Ceterum cum terram Culmensem, quam idem partim elemosinis principum catholicorum ac aliorum fidelium pretio comparavit, partim ex donatione nobilis viri ducis Conradi et venerabilis fratris nostri . . episcopi et dilectorum filiornm capituli Plo-censis ad opus episcopatus sui obtinuit, iuribus episcopalibus, proventibus, servitiis et praediis quibusdam sibi retentis, certis pactionibus dictis fratribus ad ampliandum episcopatum Prusciae, paganismum impugnandum, defensandam praedicationem evangelii pacis ac defensionem fidei catholicae concessisset, praedicti fratres nec eum defendere, quem Pruteni ceperant, nec etiam quamquam super redemptione sua mandatum apostolicum recepissent, redimere procurarunt. Quosdam Prutenos nobiles, quos tenuerant in vinculis peregrinorum captos auxilio, quibus eundem episcopum redimere poterant, abire pro pecunia liberos dimittentes, et quendam neophytum nobilem, qui dicto episcopo super observanda fide catholica filium suum dederat obsidem, quia pecuniam ab ipso iuxta votum extorquere non poterant, peremerunt. Insuper in dicta captivitate eodem episcopo existente, ecclesiam episcopalem ac totam terram episcopatus, civitatem et castrum Sanctir iidem fratres cum neophytis hostiliter invadentes, ipsos, omnibus mobilibus ibidem inventis, nequiter spoliarunt, iura episcopalia, decimas ac proventus alios ad mensam episcopi pertinentes per violentiam detinent occupata, in ecclesiis parrochialibus et capellis ipsarum dicti episcopatus, in institutionibus sacerdotum et clericorum ac destitutionibus eorundem episcopali officio, quod sibi contra fas usurpant, illicitum abutentes. Praefatam vero terram Culmensem contra praedictas pactiones iuramento firmatas detinent totaliter occupatam, iura episcopalia usurpantes in praeiudicium ecclesiae Prusciae et ipsius non modicam laesionem. Et licet iidem fratres beneficia plurima in terra Culmensi ad hoc, ut honorem et iura dicti episcopatus Prusciae modis quibus possent defenderent, ab eodem episcopo recepissent, tamen ad tantae ingratitude vitium devenerunt, quod non solum ipsi debitum servitium iuramento firmatum, verum etiam ut ad eundem episcopum peregrini, quorum ipse auxiliator extiterat, solitum recursum non habeant,